



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

5. Acolythatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

101. 1. r. de Ord. p. 3. n. 9. tamen cum communiore, & probabiliore sententia esse, probat; quos Doctores, si est otium, adi.

MAIORES.

3. Subdiaconatus collationem esse iterum Sacramentum, est longe probabilius; quamvis fatear, opinionem dicentem non esse, in censuram vocari non posse, eam enim nonnulli Docti sequuntur, vocantque probabilem.

4. Quod autem collatio Diaconatus sit Sacramentum, videtur accedere ad certitudinem fidei. Lege Averfom *de cit. scilicet* 3. Apud Callrop, *loc. c. n. 5.* Sor. Layman, alioque apud Leand. *de Ord. d. 1. q. 7.* & March. *ir. 1. de Ord. p. 1. c. 6.* vocat valde probabilem.

5. Denique Sacerdotium, & Episcopatus, prout, includit Sacerdotium, de fide est, esse Sacramentum. At prout superaddit extensionem dictam *s. praced. n. 5.* licet non sit de fide, est tamen certissimum esse Sacramentum, ut apud Vasquez, alioque citatos videre poteris.

6. Quoad praxim, illud ex dictis colligi debet, Ordinem, cum iam dixerimus, esse Sacramentum, unde suam producit gratiam, debere digne ministrari ab Episcopo ordinante, & digne recipi ab ordinato, id est sine conscientia peccati mortalis, ut supra libro primo de Sacramentis in univ. explicatum est. Sed difficultas propria hic se offert: An id sentendum sit de omni Ordine, etiam de predicta extensione; ita ut per quancumque indignam collationem, vel receptionem illorum, committatur novum numero peccatum.

7. Respondeo. Ita est sentiendum in sententia, quam, ut probabiliorē fecuti sumus, docentem, eos omnes esse Sacramenta, multo magis de illa extensione, quam diximus, certo esse Sacramentum. At quia non potuimus negare probabile esse, Subdiaconatum, & Minorum Ordines non esse Sacramenta, ut modo vidimus, idem probabile etiam erit, eam ministrare, ut vult Leand. cum multis *disp. 2. de Ord. quasi. 21. & 22.* Quintana, *de Ord. sing. 17. n. 1.* vel suscipere, non esse saltem mortale.

CAPUT II.

De Materia, Forma, & Officiis primæ Tonsuræ, & Minorum Ordinum.

§. I. Prima Tonsura.

1. **E**st deputatio ad canendum in Choro seu Ecclesia, & ad ejusdem obsequium.

2. Conferitur ab Episcopo per abscissionem capillum, loco materiæ, & per hæc verba, loco formæ, ab eodem Episcopo, & simul ab ordinando pronunciata: *Dominus pars hereditatis meæ, & pars mea Deus in æternum.*

Dico (loco materiæ, loco formæ) cum enim prima Tonsura Ordo non sit, vera materiæ, formæque non indiget: nam propterea, his ommissis, valde quis (teste March. *de Ord. ir. 2. p. 1. cap. 12.*) deputaretur ad obsequia predicta, si quocumque alio modo, ipso consentiente, ad ea addiceretur ab Episcopo.

3. Officium primæ Tonsuræ est, deputare Fidelem ad canendum in Ecclesia, ob quam rationem vocaturis Psalmista, & ei imponitur, ut semel recitet septem Psalmos Pœnitentiales cum Litanis, & Precibus consequentibus. Destinatur item per ipsam Fidelis ad obsequium, & famulatum Ecclesiæ, unde sit capax beneficiorum Ecclesiasticorum, & aptus ad Ordines sequentes.

4. Ut autem id hæc occasione dicam, adverte, prædictas Orationes imponi ab Episcopo, tum tonsurato, tum cuilibet ordinato in Minoribus, & quidem semel, etiam si receperit simul dictam Tonsuram, & quatuor

Part. III.

omnes Ordines: imponi, inquam, non sub peccato, sed sub consilio. Ita March. *loc. citato cap. 8.* cum Navarr. & Reginaldo sicuti idem sentiendum esse de Matucino, & Missis, quæ idem Episcopus imponit Ordinato in Sacris, dicam mox *cap. 2. §. 4.*

§. II. Ostiarius.

1. **E**st Ordo Ecclesiasticus, per quem datur potestas claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam.

2. Ejus materiæ remota, sunt claves Ecclesiæ, Proxima est porrectio, seu traditio clavium. Forma sunt illa Episcopi verba. *Sic age, quasi rationem Deo reddideris pro his rebus, quæ his clavibus includuntur.* Adduntur tanquam ceremoniæ, aperiere, & claudere fores ejusdem Ecclesiæ, & illi tradi campanulam, seu funiculum, quod ea ligatur, quibus ostenditur exercitium Ordinis, quem susceperunt.

3. Ostiarii munus est; secundum Leand. *de Ord. d. 2. quasi. 10.* ex March. *loc. citato tract. 2. p. 2. cap. 3.* aperiere & admittere, custodire Ecclesiam, advocare, & admittere dignos, indignos excludendo; Campanas pulsare (explicat Gaspar Hurtad. *de Ordin. differ. 5.* id intelligi; tempore sacrificii) suppellectilem Sacram. custodire, demique aperiere librum ei, qui est predicaturus; quod tamen ultimum in usu certè non est. Lege Gasp. Hurt. *lib.*

§. III. Lectoratus.

1. **E**st Ordo Ecclesiasticus, quo conceditur potestas Prophetias, & scripturas legendi in Ecclesia.

2. Ejus materiæ remota est liber continens Sacras Lectiones, id est Epistolas, & Prophetias. Proxima est ejusdem libri traditio. Forma. *Accipe, & esto verbi Dei realiter, habiturus, si fideliter, & viriliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio bene ministraverunt.*

3. Munus ergo Lectoris est legere prædictas Prophetias, & Sacras scripturas, etiam Evangelium, sed extra Missam, nam, in hac, est officium respectivè subdiaconi, & Diaconi. Item ejusdem Lectori est munus Catechumenis baptizandis fidei rudimenta tradere: Olim panes, & fructus novos Lector benedicebat, minori tamen solemnitate, quam ea, quæ convenit ordinatis in Sacris, ut notat Gasp. Hurt. *loc. citato*, verum hodie id abrogatum esse, Marchinus *de Ord. ir. 2. part. 3. cap. 3.* testatur.

§. IV. Exorcistatus.

1. **E**st Ordo Ecclesiasticus conferens potestatem imponendi manus super Energumenos, legendique Exorcismo, ad Demones fugandos.

2. Materiæ ejus remota est liber Exorcismorum, Proxima ejusdem libri traditio, Forma. *Accipe, & com-menda memoria, & habes potestatem imponendi manus super Energumenos sive Baptizatus sive Catechumenos.*

3. Ejus ergo officium est manus imponere super Energumenos, atque exorcismos legere; Olim Exorcista edicebat Populo, ut, qui non communicabant, darent locum aliis communicaturis, & aquam, qua in ministerio Baptismi usus erat Baptizans, infundebat, sed hodie hæc, ipso non usu, abrogata esse, idem *ibidem* notat Marchinus.

§. V. Acolyhatas.

1. **E**st Ordo Ecclesiasticus, quo datur potestas accendendi luminaria, cereumque accensum transferendi ad altare, porrigendi Subdiacono Vireculos, pro Sacro ministerio.

2. Materiæ remota hujus Ordinis est duplex, altera, est candelabrum cum cerco extirpato, altera, sunt Virecoli vacui. Horum traditio est materiæ proxima. Notatque Bonacina *de Sacram. Ord. quasi. 27. part. 3. num. 6.*

I 3 cit.

cit. Hen. Filliuc. & communiter satis, esse si unus Vrecolus tangatur ab ordinando: Forma item duplex est Altera. Accipe Cereferarium cum Cereis, ut scias, te ad accendenda Ecclesia lumina accipere in nomine Domini. Altera. Accipe Vrecolos, ad accendendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.

3. Circa quæ, triplex est sententia, alii ut Bon Rich. Angel. aliique apud Leand. de Ord. quæst. 17. affirmant priorem, alii ut S. Thom. Val. Gran Bonac. aliique apud Leand. citatum, posteriorem, alii denique Aversa de Ord. quæst. 2. sect. 4. utramque simul esse materiam, & formam adæquatam hujus Ordinis, & per ipsas imprimi Characterem. Omnes probabiliter.

4. Officium ergo Acolythi est præparare lumina ad Sacrificium, Cereum, ubi est legendum Evangelium, ferre Diacono, & Subdiacono inservire, (nam inde dicitur Acolythus, latine pedisequus) Aquam, & vinum in Vrecolis ministrare, eosdemque vino, & aqua plenos eidem Subdiacono porrigere.

5. Acolythum immo, & ceteros quocunque Ordine, quamvis Minori, insignitos, imò & solum tonsuratos posse licite tangere vasa sacra, sed in quibus non sit Sanctissima Eucharistia, teste G. Horr. de Ord. diff. 14. & plur. apud eundem Leand. docuimus. In opusculo de Sac. Missa lib. 1. cap. 2. §. 1. num. 9.

§. VI. Aliquot quæstiones de Initiatis Tonsura, & Minoribus.

AN HI, CVM INITIANTVR OBLIGENTVR Sacram Eucharistiam sumere, & quid de Aliis.

1. PRIMA Tonsura, & Minoribus initiati, eo die, quo initiantur, obligantur, Sacram Communionem suscipere, & per hanc occasionem, quid de aliis in Sacris?

2. Respondeo tribus dictis. Dico, Primò, Tonsura & Minoribus initiatis non obligare. Primò, quia non adest Textus ad id obligans. Secundò, quia aliqua Rubrica sic fortè disponens, nullum indicat præceptum, unde solum continet consilium. Tertio, Praxis idem persuadet, quando scilicet hi ordines conferuntur à Præbendo.

3. Dico, Secundò, Idem affirmari debere de Subdiaconatu & Diaconatu propter duas priores rationes proxime dictas; semper supponendo, non esse alicubi peculiare præceptum.

4. Dico, Tertio, Sacerdotio initiatis omnino sub peccata culpa mortalis communicare debere, (teste Quint. de Ord. sing. 17. n. 2.) quia debent participare de suo sacrificio.

AN PECCET QVIS, SI INITIATVR TONSURA, & Minoribus, sine intentione ascendendi ad alios Ordines. Et quid de Episcopo, si, id sciens, illum intriet.

5. Neutrum peccare mortaliter, puto, cum Sanch. lib. 7. may. d. 3. l. 16. Coninch. Layman. G. Hurt. Bon. alii que ap. Leand. de Ord. d. 7. g. 9. & 10. quia nulla gravis deordinatio in hoc apparet, nec grave præceptum; Non ita in eo, qui Religionem ingreditur animo non perseverandi, quia hic deceptus Religionem, dum alitur ejus expensis contra ejusdem Religionis voluntatem, Lege Coninch. de Ord. d. 20. n. 105.

6. Dices. At Tridentinum sess. 25. c. 4. de Ref. prohibet illos prima Tonsura ordinari, de quibus probabilis conjectura non sit, eos, non secularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo serviant, hoc vitæ genus elegisse.

Respondeo. Tridentinum loquitur de initiato ex intentione fugiendi iudicium sæculare, non autem de intentione non ascendendi ad alios ordines.

7. Quod si quæras, an is, qui contra Tridentinum initiatus ex intentione fugiendi dictum iudicium peccet mortaliter? Respondeo, esse duas sententias, Navarrus,

Barbosa, March. Molfes. aliique cum Leand. de Ord. d. 7. g. 13. putant, peccare mortaliter. Sanch. de G. Hort. Coninch. Layman, Bonac. ap. Leand. l. c. cum aliis, mortaliter non peccare.

8. Hanc posteriorem sequor; quia, nec Tridentinum imponit præceptum grave, nec gravem intentionem cum ejusmodi intentione ordinatur; irrogatur, vel libertate, in eligendo vitæ statu, esto deinde per se sequatur exemptio à secularibus, & etho licet natus ad statum altiore non sit ascendere.

9. Verum peccatne saltem venialiter, Respondeo Sanch. loc. c. num. 17. sic habet: Si Ordines Minores, & iurisdictionem fori secularis, nonnulla culpa est, quia dicitur rella intentio Ordines suscipiendi. Certe ex eo loquendi communi, illud (nonnulla) solum veniale notat. Quare si deinde Sanch. n. 8. dicit non peccare Episcopum, si prædictam ordinem intelligendū esse sibi sit contrarius) non peccare mortaliter, nam non posset effugere veniale, si sciens ad illud cooperaretur.

10. Notabile demum est illud, quod docet Layman nimirum, Rectores Academicarum sine veniali peccato assumere Minores Ordines, absque intentione ascendendi in Clericatu, sed solum ut sic possint Scholares Ecclesiasticos regere. Quæ Doctrina ostendit, non adesse istam causam, unde, ne venialiter quidem peccetur.

AN PECCETVR QVI MINORIBVS INITIATVS ob solum spem Beneficium Ecclesiasticum confectus

11. Marchinus de Ord. traft. 1. p. 8. c. 1. n. 13. ad hanc quæstionem sic respondet. Si dicta spes sit casualis, & principalis finalis, & primaria, mortaliter peccatur, si sit secundaria, & impulsiva. Quæ doctrina contrari potest ex Divo Thoma 2. 2. q. 185. art. 1. docente, peccet: Episcopatum ob divitias (intelligendū est de principali) esse mortale.

12. Profecto, si id, ita absolute dictum veniale, v. Sacerdotibus, v. Clericis, v. Fidelibus, Quamvis que enim est, qui ob finem habendi temporalia spiritualia non moveatur?

13. Naviter igitur intelligendum est, quid si hoc moveri à lucro, vel simili spe temporalis, tanquam à sua seu causa principali, ita ut mortaliter tunc peccet. Certe est, cum quis ita moveatur ab hoc fine, ut ita spiritualia ad illud ordinat, ut velit legem Dei gravi negligere, dummodò eo lucro portaret. Hæc profecto intentionem, si vel Clericus, vel Episcopus habet in sua Ordinatione, peccare mortaliter, non dubium, de quo hæc loquitur Sanctus Thomas.

At, si ejusmodi intentionem non habeat, sed ita ut finem illi lucri, media sua ordinatione, ut sine expresse five tacite sit paratus, legem Dei non negligere, hoc certe difficile est, pronunciare, mortaliter peccatum. Quamvis enim aliqua sit venialis deordinatio, spiritibus uti, tanquam mediis, ad temporalia: tamen constat voluntas prædicta, esse gravis, & mortalis deordinatio nequaquam videtur. Lege nonnulla adnotata hæc facientia in nostro opusculo de Sac. Missa h. c. n. 13.

AN INITIATVS TONSURA, VEL MINORIBVS peccet, si sine ulla causa vno em dicitur, & a Clericatu discedat.

14. Quamvis aliqui, ut Th. Azor Silv. aliique ap. Leand. de O. d. d. 7. g. 13. nullam hic agnoscant culpam, tamen adesse venialem mihi probabile est, cum Sanch. lib. 7. may. d. 3. l. 17. quia ejusmodi clericus videtur receptus à statu, quem in ipsa receptione Tonsuræ videtur implicite Ecclesiæ, aliquo tandem modo promississe. Non ergo hanc culpam ego duco ex capite intentionis, hoc enim fortasse non attingeret culpam, cum sit solus deus maioris boni, ut in simili diximus h. c. n. 13.